



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica

Ab anno Christi 1566 usque ad annum 1572

Fleury, Claude

August. Vind. [u.a.], 1772

VD18 90118634

§. 9. Theologorum Lovaniensium elucubrationes opera Ariæ Montani
editæ.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-67213](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-67213)

§. IX.

Sæcul. XVI.
A.C. 1570.

Theologorum Lovaniensium elucubrationes opera Ariæ Montani editæ.

Cum hisce tumultibus interea Anglia, & Scotia agitentur, Lovanienses Theologi hæreticorum libros, necnon ceteros jam antea prohibitos discutiendi curam in se susceperant, ut tam horum, quam illorum lectio omnino prohiberi posset. Absoluto hoc examine ea in quodam indice adnotabant, quæ in pluribus ejusmodi operibus corrigenda essent, hunc vero indicem anno sequenti cum Philippi II. Hispaniæ Regis privilegio typis vulgabant, addito Regis interdicto, quo cujuscunque conditionis hominibus quicquam addere, vel demere vetitum erat. Huic labori Arias Montanus egregie suam quoque sacra- bat operam, qui etiam ex mandato Catholicæ Majestatis suæ novam Biblio- rum editionem concinnabat haud ab- similem Complutensi, quæ Cardinalis Ximenii cura, ac expensis adornata fuit: enimvero Arias ad tam præcla- rum opus apprime idoneus erat, ut vero hoc propositum ad felicem deduce- ret exitum, in Belgium venit, cum ta- men ibi a suis æmulis vexaretur, Romam contendere, ac sui laboris executionem inter-

Thuan. l. 47.
Nicol. Ant.
Bibl. Hisp.

inter-

Sæcul. XVI. **A.C. 1570.** interrumpere cogebatur, inde autem in Hispaniam reversus a Rege ad Episcopatum nominabatur, quem ipse acceptare recitans inferioribus beneficiis contentus vivere maluit.

§. X.

Concilium Mechliniense.

Labbe Collect. Concil. tom. 15.

Hoc anno Mense Junio Mechliniæ Concilium Provinciale fuit celebratum, cui Martinus Rithovius Yprensis Episcopus absente Perrenoto Granvellano Cardinale, hujusque Urbis Archiepiscopo præfuit. Ibidem de Tridentinæ Synodi decretis ad usum deducendis agebatur, ejusdem vero Concilii actis sese subscripserunt Episcopi sex nimirum Yprensis, Antverpianus, Ruremondensis, Gandavensis, Brugensis, & Buscoducensis præter Maximilianum Morillonium Vicarium Generalem Cardinalis Granvellani Mechliniensis Archiepiscopi.

§. XI.

Articuli in hoc Concilio agitati.

Labbe l. 2. pag. 790.

Præprimis quædam prælegebantur decreta, quorum primo hæc Synodus inchoata declarabatur, altero autem Archiepiscopi absentia fuit excusata, & tertio sancitum, quod ex sedendi ordine nulli præjudicium nascatur: porro quarta